

MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08

Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

DE NUNTIIS LATINIS

Satis laudari non possunt Finni, qui ab anno 1988 ad emissiones radiophonicas Latinas instituendas operam dederunt. Hannu Taanila redactor scientificus culturalisque Finnicae Radiophoniae non timuit huic consilio favere; est, ut ipse ait, «pater, mater et obstetrix nuntiorum Latinorum». De re imprimis disputaverat cum Doctore Gregorio (Reijo) Pitkäranta, qui munere fungitur in studiorum Universitate Helsinkienst. Eis se adiunxit Thomas (Tuomo) Pekkanen, ordinarius professor linguae Latinae in studiorum Universitate Granivicensi (Jyväskylän yliopisto).

Thoma Pekkanen et Gregorio Pitkäranta redactoribus Latinis factis, emissiones incohatae sunt die primo mensis Septembris anno 1989 in programmate culturali. Argumenta tamen tractanda non spectabant ad res quae communiter habentur culturales. Statuerant enim de rebus hodiernis tractare, id est de nonnullis maioris momenti eventis Latine referre. Ab initio Thomas Pekkanen Radiophoniae moderatoribus suaserat ut «Nuntii Latini» undis brevibus in totum terrarum orbem diffunderentur.

*

* *

«Salvete, optimi auditores... Michail Gorbatshov est in Lituania... miro modo tempestas hiernalis tepida esse pergit... Greta Garbo mortem obiit...

Tuomo Pekkanen
Reijo Pitkäranta

NUNTII LATINI

LATINKIELISET
UUTISET
NEWS IN LATIN



Suomalaisen Kirjallisuuden Seura
Helsinki

Copiae Iraquianae in Cuvaito... Polonia novum moderatorem accepit... In Finnia bacterium rem plasticam edens repertum est... Phaenomenum tepidarii hortensis...» Haec inter alia ubique terrarum audiri potuerunt et manifesto placuerunt, cum adhuc ex septem et triginta terris alienis permultae epistulae gratulatoriae ad Radiophoniam Finnicam missae essent.

Propter hunc successum inde a die 1 mensis Iunii anno 1990 nuntii Latini sub proprio titulo in programmate primi retis Radiophoniae Finnicae generalis diffunduntur atque ab anno 1990 ineunte etiam in Televisione Finnica textuali scribuntur; qui textus televisificus tantum intra Finniae fines conspicitur atque imaginibus ornatur; exhibentur exempligratia flores et animalia cum suis nominibus Latinis.

Non semper eadem vox auditur; nam Gregorius Pitkäranta et Domina Virpi Seppälä-Pekkanen, licentiata philosophiae, quae in Universitate Helsinkiensi Latine docet, nuntios vicissim recitant.

*
* *

In ipsa Finnia sunt hodie aliquot dena milia hominum, qui nuntios Latinos satis bene intellegant. Multis hominibus emissiones Latinae sunt incitamento ad studia Latina suscipienda. Quo exemplo bene demonstratur efficacia huius generis emissionum. In Europa sunt hodie circiter quindecim miliones hominum linguae Latinae studentium, ut aestimatur. Est numerus satis magnus ut in aliis regionibus etiam instituantur emissiones Latinae, quibus Europaeorum cohaerentia culturalis feliciter augebitur.

In praesentia Radiophonia Finnica nuntios Latine aequae ac aliis linguis divulgat et nemo est

qui eos iam miretur. Immo vero, nisi divulgaret, omnibus mirabile videretur. «Quod casu felici initium ceperat, necessitas facta est», scribit Hannu Taanila.

Omnes emissiones ab initio usque ad diem 30 m. Aug. a. 1991 factae in unum librum (cfr p.12) collectae sunt. Libro modo edito, intra unam septimanam 1.500 exemplaria vendita sunt. Altera editio iam est facta! Successus bene meritus, cum textus sint attractivi et lectu faciles. Subiunguntur translationes Finnica et Anglicana, de quibus in prooemio legimus haec: «Redactores Finni et Angli saepe diversos aspectus ex textu Latino excerpserunt, quo fit ut haec summaria se invicem potius compleant quam sint alterum alterius versiones.» Index vocabulorum novorum in fine libri etiam praebetur.

In praefatione sua Hannu Taanila scribit: «Crediderim etiam institutionem Latinam post hoc opus publicatum longe diversam atque antea fore.» Thomas Pekkanen et Gregorius Pitkäranta suum prooemium concludunt his verbis: «Nulla lingua disci potest sine usu vivo. Nemo veraciter linguam peregrinam didicit, nisi eam tribus modis adhibet, legendo, scribendo et quod maximum est loquendo.♦

*
* *

Quid nobis concludendum? Id quod Finni efficere potuerunt, adhuc impossibile fuit in Europa occidentali. Nullum redactorem satis magni ponderis attrahere potuimus, obstantibus politicis. Sed inertia linguae Latinae docentium politicos certe non incitat. Fere enim omnes universitatis professores, calce in lingua Latina mortua posita, omni conatu impediunt ne revivescat. ♦

Gaius LICOPPE



NUNC EST FESTIVANDUM...

Annus 1993 est annus maxime Horatianus: nam secundum exactam computationem, Quintus Horatius Flaccus mortem obiit ante duo milia annorum (die 27 m. Novembris a. 8 a.Chr.n.). Ad rem memorandam variae fiunt sollemnitates:

- in Italia: Thomas Pekkanen de rebus Italicis refert hoc in fasciculo, p. 7.
- Monaci in Bavaria: Valahfridus Stroh a die tertio usque ad diem quintum mensis Decembris instituet "Horatianos Ludos Latinos Monacenses", quorum programma - totum Latinum - mox proponetur. Si quis de his Ludis plura vult scire, scribat ad Professorem Valahfridum (Wilfried) Stroh, Institut für Klassische Philologie der Universität München, Geschwister-Scholl-Platz, 1 - D-8000 München 22.

DE ACADEMIA LYNCEORUM (III)


SCRIPSIT GAIUS LICOPPE

Antequam narremus quid ad astronomiam Galileus Galileus contulerit et quomodo Lynceorum Academiae cursum inflexerit, oportet in memoriam revocare qualis antea fuerit astronomia.

Probabiliter Novi Mundi inventio exeunte quinto decimo saeculo facta non mediocris fuit ad hanc scientiam renovandam.


In Chronicalibus Norimbergensibus anno 1493 in lucem editis (id est antequam fama navigationum Columbi trans oceanum in medium Europam perveniat) invenitur imago, quam iuxta exhibemus, ubi appetat universum geocentricum tale quale fingebant Europaei quinti decimi saeculi. In medio, Terra sphaerica; circum Terram sphaerae aquae, aeris, ignis, Lunae, Solis, planetarum et sphaera stellarum haerentium sive firmamentum. Ultra quam sphaeram sedet in throno Deus, circumfusa beatorum turbā.

Ab Americano scriptore undevicesimi saeculi Washington Irving narratum est Columbus praecipue necessarium fuisse ut regibus Ferdinando et Isabellae persuaderet Terram sphaericam esse. Hoc est omnino falsum. A duodecimo saeculo Aristotelis opera in Occidente iterum plurimum valent, non diu obstante Ecclesia Catholica; nam anno 1254 Aristotelis scripta fiunt Sorbonicae universitatis doctrina officialis. Cum Aristoteles docuisset Terram necessario sphaericam esse, in studiorum universitatibus ubi docebatur quadrivium (arithmetica, astronomia, geometria et musica), alumni hac notione erant imbuti. Quae, exempli gratia, explicabatur in opere late diffuso c.t. «Sphaera Mundi» quod Iohannes de Sacrobosco (Jean de Halifax de Holywood) Anglus, astronomus, mathematicus translatorque litterarum Arabicarum tertio decimo saeculo conscripsit.




*In Chronicalibus Norimbergensibus:
universum geocentricum.*

Cum Reges Catholici circa Nativitatem anni 1486 aulicos doctosque Salamancam convocaverunt ad Christophori Columbi propositum examinandum, hic illis persuadere non debuit Terram esse sphaericam sed potius navigationem ad Occidentem versus usque ad Asiam non esse tam longam ut succedere non posset. Docti in Ptolemaei geographia nitentes ei obiecerunt orbis terrarum ambitum maiorem esse quam ipse asseverabat.



Mappa secundum Martinum Behaīm Norimbergensem anno 1492 delineata.



Mappa secundum Ptolemaeum.

Hunc enim ambitum mirum in modum iam subduxerat Eratosthenes Alexandrinus: 252.000 stadia sive 40.000 chiliometra. Postea geographi orbis Arabici (praecipuus est al-Ma'mun, IX^o s.) eandem computationem iteraverunt atque statuerunt orbis terrarum ambitum esse 20.400 milliiorum Arabicorum (40.253 chiliometrorum). In hac mensura nisus est Christophorus Columbus sed millaria Arabica habuit pro Romanis, quae re vera minora sunt. Inde factum est ut tertiam tantum partem orbis ambitui tribuerit (circa 30.000 chiliometra).

Praeterea credebat Sinas multo latiores esse quam re vera sunt; quare affirmabat inter insulas Iaponicas (quae tunc Cipango appellabantur) et insulas Canarias spatium non esse nimium (circa 5.000 chiliometra) quam ut superaretur. Hic Christophori Columbi error etiam appareat in vetustissimo globo terrestri adhuc servato, quem anno 1492 confecit Martinus Behaīm, navigator et

cosmographus Norimbergensis. In iuxtaposito schemate de hoc globo deprompto iam apparent insulae Accipitirinae (v. Acores), quas Itali navigatores quarto decimo saeculo medio in oceano Atlantico reppererant.

Felix exitus Christophori Columbi navigationum in dubium vocavit Ptolemaei geographiam, quae tunc temporis magna aestimabatur; nam secundum Ptolemaei praecepta dataque circa annum 1480 spectabiles chartae geographicae editae erant.

Claudius Ptolemaeus, mathematicus scholae Alexandrinae, opus suum c.t. «Syntaxis mathematica» medio secundo p.Chr.n. saeculo conscripsit. Tanta fuit eius fama ut vocaretur «Maxima compositio», Graece Μεγίστη, quae ab Arabibus facta est «Almageste». Opus est tam technicum arduumque ut vix intellegatur per tota Mediæ Aevi tempora. Quinto decimo saeculo tan-

dem iterum comprehenditur a duobus astronomis, Regiomontano (Iohannes Müller) et Georgio Peuerbach. Qui, cum Ptolemaei opus magni aestimarent, una coeperunt summam componere. Infeliciter Georgius Peuerbach mature interiit; Regiomontanus rem solus perrexit sed eam ipse in lucem edere non potuit, quia anno 1476 peste perierat Romae, ubi petente Papa Sixto IV operam dabat ad kalendarium Iulium reformandum. Impulsum tamen dederat ad Ptolemaei theoriam reprehendendam.

Ptolemaei sistema, quamvis geocentricum, efficacissimum erat ad motus vagarum stellarum describendos praevidentesque. Sphaeris enim Aristotelicis adiunxerat motus intricatores, qui vocantur aequantes et epicycli, quibus etiam recessiones vagarum stellarum describi poterant. Regiomontanus tamen et Georgius Peuerbach nonnullos errores invenerant, qui spectant ad planetarum positionem accurate praevidendam. Praeterea secundum Ptolemaeum Lunae apprensens diametrum certis temporibus duplex fieri debebat, id quod nemo umquam observaverat.

Nicolaus Copernicus natus est in Polonia anno 1472. Studuit imprimis Cracoviae, postea in celeberrimis Italiae universitatibus, Bononiae, Romae, Patavii. In patriam reversus factus est canonicus in urbe Frombork, non longe a mari Baltico sita. Optime noverat Ptolemaei opus quod valde admirabatur.

Ptolemaei tabularum astronomicarum observationes cum recentioribus contulit et nonnullas inexplicatas singularitates animadvertisit, quibus impulsus totum stellarum systema recogitavit, id quod fortasse antea iam fecisset Regiomontanus nisi prae mature mortuus esset.

Systema heliocentricum quod Aristarchus Samius iam excogitaverat proposuit ut hypothesis, qua stellarum motus dilucidius explicarentur. Etiam statuit Lunam circum Terram ferri et Terram circum suum axem verti.

Unum tantum habuit discipulum, Georgium Ioachimum Rheticum, qui duos annos apud eum mansit atque eius hypotheses in libro c.t. «Narratio prima» anno 1540 divulgavit, i.e. tribus annis ante quam Copernicus ipse suum opus c.t. «De revolutionibus orbium caelestium» in lucem ederet. Nonnulla excerpta «Narrationis primae» elegimus, quibus Copernici animus dilucidius perciperetur. ♦

(sequetur)

**AD CLARISSIMUM VIRVM
D. IOANNEM SCHONE-
RVM, DE LIBRIS REVOLVTIO-
NIBUS ERUDITISSIMI VIRI, & MATHEMA-
TICIS EXCELLENTISSIMI, REVERENDI
D. DOCTORIS NICOLAI CO-
PERNICI TORUNNAE, CA-
NONICI VARMEN-
SIS, PER QUENDAM
IUVENEM, MAS-
THEMATICÆ
STUDIO
SUM
NARRATIO
PRIMA.**

"Principio autem statuas velim, doctissime D. Schonere, hunc virum, cuius opera nunc utor, in omni doctrinarum genere et astronomiae peritia Regiomontano non esse minorem. Libentius autem eum cum Ptolemaeo consero, non quod minorem Regiomontanum Ptolemaeo aestinem, sed quia hanc felicitatem cum Ptoleameo praceptor meus communem habet, ut institutam astronomiae emendationem divina adiuvante clementia absolveret, cum Regiomontanus, heu crudelia fata, ante columnas suas positas e vita migrarit."

(...)

"Regiomontanus noster libro V propositione XXII Epitomes inquit: Sed mirum est quod in quadratura, Luna in periglio epicycli existente, non tanta appareat, cum tamen, si integra luceret, quadruplam oporteret apparere ad magnitudinem quae appareat in oppositione, cum fuerit in apogio epicycli. Senserunt et idem Timochares et Menelaus, qui semper in observationibus stellarum eadem Lunae diametro utuntur. Sed et D. praceptor meum experientia docuit, diversates aspectus et quantitates corporis Lunae, in omni ipsius a Sole distantia, parum vel nihil differre ab iis, quae in coniunctione et oppositione contingunt, ut manifestum sit Lunae minime talem, ut receptum, eccentricum tribui posse. Ponit itaque quod Lunae orbis terram cum adiacentibus elementis complectatur, cuius deferentis centrum sit centrum terrae, super quo aequaliter centrum epicycli Lunae deferens feratur."

Georgii Ioachimi Rhetici Narratio Prima, Académie Polonaise des Sciences, 1982, pp. 39; 42; 53-54.

MUSAM HODIERNAM

CANUNT ARITUNEUS MIZUNO ET IOSEPHUS TUSIANI

LESBIS

謹賀新年

O Aegaei nitor, minax
 Aetne sulphuribus, nocte tuum mare est:
 o uestor uetus agminum,
 piratae subiens o dator, o latro,
 dic Chirone renuntio:
 quid flatu tumidus prodere niteris
 miri? nam licet a fera
 Thrace sit propior Lesbias insula et
 fax humana micet minor
 nec cultus licet hos instituat supra,—
 at circumdata dulcium
 semper floridulo, semper ad anteuorsam
 adfini grege uirginum,
 iam saltante lyrae scitius ad modos,—
 odam pandere surrigit
 Sappho quo cor eat tentaque barbita.
 Sapphus aurea reddito:
 quae spelunca uocat nomen? adhuc sonat
 Nereus mella? tulit dari
 uates munda uolens carmina nauitis?
 quin et Flaccus in aulicis,


quamuis culta puer legerit ampliter,
 cur spes adflat et Aeolo?
 cur Sapphus aidus, cur specit Aeoles?
 cantrix at docili lyra,
 umbrato lepide uersiculis scopo,
 Maenas forma rubras faces,
 cantet deperiens, ast canit asticas;
 abscondit quod et exhibit
 dilectos animae, quod modice patet
 se mirante: politior
 uena est, Ausonium quae mouet, artifex.
 noctu praeuia barbitos
 princeps Italico cantica principi
 sic diuinitus attulit
 scintilla citior trans uada. qua tamen
 terras Iuppiter adtonet,
 caeli est: Musa parat uisere desuper
 quemuis: o utinam, dea,
 spiranti faueas, quem uideas, malo!

CECINIT KAL. IAN. A. V. C. MMDCCXLVI

ARITVNEVS MIZVNO

〒606 京都市左京区下鴨南茶ノ木町31-3 水野有庸

N.B. (1) Desinit u. 12 in elisione hypercatalecta. (2) 'Illa puella' dicere uidetur Sappho
 fr. 31 'me mulierem tantopere uenustate sua capit: at ille, quamuis certe uir, nil mouetur.
 ergo ipsum nil nisi dis parem esse admiror modo diligens, non amans.' illum igitur nimis
 paucis canit, cordi taman habet: hunc canere ibidem est imprimis munus.



EST NOVUS ANNUS


Est novus annus: ego solus persisto ligatus
 eloquio vetere.
 Scribere quid prodest, si hesterna vocabula laedunt?
 Si omnia nunc nova sunt,
 carmina nunc aveo nova et integra et intima, plane
 composita auspicio
 solis quaque die vitam nobis renovantis,
 condita et his Zephyris
 murmura per vallem spargentibus et vaga tura
 floribus e variis.
 Ecce poema meum: rursum spirare sub astro,
 cernere lucem iterum,
 vivas inter res et vivere, gnarum hodierni
 muneris -- ac satis est.

Iosephus Tusiani



DE DIEBUS HORATIANIS VENUSINIS

RETTULIT THOMAS PEKKANEN



Venusiae (hodie Venosa), in oppido Horati natali, diebus 8-16.XI.1992 sollemnia fiebant, quibus annus a morte vatis bis millesimus est inauguratorus. Quintus Horatius Flaccus, poeta lyricus, die 27.XI anno 8 a.Chr.n. defunctus, die 8.XII a. 65 Venusiae erat natus, quo fit ut illud oppidum hodie quoque nomine civitatis Horatianae (città di Orazio) iure glorietur. Duo millenaria post mortem Horati non ante quam mense Novembri huius anni erunt acta, sed Itali memoriam poetae per totum annum celebrare volunt. Sollemnia Horatiana Digestiae (hodie Licenza), apud fundum Horatii, diebus 18-21.IV.1993 continuabuntur et Romae die 27.XI.1993 concludentur, qui dies ex chronologia exacte computata post vatem mortuum erit bis millesimus.

Una cum Cancellario Jaakko Numminen a moderatoribus eramus invitati, ut diebus Venusinis interessesemus. Invitationem libenti animo probavimus, quamquam fieri non potuit, ut totam septimanam in Italia ageremus. Neuter nostrum Venusiam ante obierat, nam oppidum Horatianum inter illa non numeratur, quae primo loco a peregrinis solent visitari. Si tramine ferriviario illud Roma profectus petere velis, ter tibi tramen mutandum sit, antequam pervenias. Autoraeda laophorica vehentibus idem iter est quaternarum horarum. Hospites ad dies Venusinos invitati a statione ferriviaria Neapolitana autovehiculo privato Venusiam pervehebantur.

Iacet Venusia in altitudine supra libram maris 415 metrorum, in regione, ubi Apennini meridionales in planitiam paulatim mutantur. Distat ab urbe Roma chiliometra 374, Neapoli 190, Bario 104. Via Appia antiqua, quae Romanum cum Brundisio coniungebat, ab anno 190 a.Chr.n. Venusiam habebat stationem. Numerus incolarum hodie est circiter 12.000. Aspectus oppidi est mundus et venustus, signa viarum sunt nuperrime picta, multa monumenta et aedificia ad annum festum restaurata.

Erant in programmate dierum Horatianorum

Venusiae (hodie Venosa), in oppido Horati natali, diebus 8-16.XI.1992 sollemnia fiebant, quibus annus a morte vatis bis millesimus est inauguratorus. Quintus Horatius Flaccus, poeta lyricus, die 27.XI anno 8 a.Chr.n. defunctus, die 8.XII a. 65 Venusiae erat natus, quo fit ut illud

salutationes hospitum officialium, acroases, excusiones, concentus musici et alia spectacula. Quia non diutius quam triduum adfuimus, partem tantum sollemnitatum vidimus et audivimus. Cancellarius Numminen pro Finnis salutationem protulit, de rationibus, quas gentes septentrionales ad Horatium habuerunt, commonens. A me moderatores petiverant, ut de emissionibus Latinis Radiophonie Finnicae sermone Italico narrarem, quod libenter effeci.

Sollemnia in theatro Venusino (Teatro Lovaglio) fiebant, quod aliquos 700-800 homines capit. Die Iovis erat auditoribus frequentissimum, nam scholares ex longinquis quoque regionibus Venusiam autovehiculari apportati erant.

Pleraeque acroases ad poesim Horatianam pertinebant. Singula tractare longum est. Sicut in conventibus colloquiisque scientificis fieri solet, oratores chartas, quas stilo nimis difficili scripserant, voce monotona auscultatoribus dormitantibus legebant. Una erat exceptio, memoratu digna, Valafridus Stroh, professor Latinus Monacensis et Scholarum Frisingensium auctor et origo. Ille, praeter cancellarium nostrum solus lingua Latina usus, de Horati poesi amatoria locutus est. Nullas chartas habebat, nisi quod excerpta Horatiana auditoribus photocopiata divisorat. Unam fere per horam rhetorice et vere scaenice latinizavit et plurimas carminum strophas omnibus intente auscultantibus ex memoria recitavit. Ut finem orationis fecit, auditores ovationibus et plausu decem fere minutarum Valafrido gratulabantur. Silentio tandem facto orator Latinus maxima iuvenum turba circumventus est, qui autographum eius volebant. Exemplum docet, quantum viva Latinitas etiam apud iuventutem hodiernam valere possit.

Medio oppido in Foro Horatiano est statua cum inscriptione Q. HORATIO FLACCO VENUSIA MDCCXCIII. Domus Romana, quae Horatiana dicitur, re vera ex reliquis domus patriciae saeculi II p.Chr.n. constat. Pulcherrimum monumentum est Ecclesia Sanctae Trinitatis, super basilicam palaeochristianam aedificata. Loco oppidi altissimo iacet Castellum Aragoniense a. 1470 aedificatum, in quo hodie est museum archaeologicum.

Venusia, oppidum Horatianum, vere digna est, quae hoc praecipue anno obeatur. ♦

MARIA ANDREAS DE CHALIGNY DE PLAINE

(1717-1805) POETA LATINUS (I)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

Latinos inter poetas qui saeculo XVIII exeunte, ineunte XIX floruerunt memorandum obtinet locum Chalignius, non quo ingenti ingenii claruerit fama quove illi Musa divinam videatur afflasse poesin, sed quia tantam accumulavit versuum congeriem (si hoc mihi licet uti verbo), quantam nostra hac aetate verendum est ne nemo velit legere vel transcribere.

Canonicus enim ille Veredunensis extramodum loquax versuum milia circiter quinquaginta (coniecturam facimus) Latine conscripsit, nominis poetici tam cupidus, ut autographis, quae bibliothecis quibusdam Parisinis postea legavit, versuum calculos et rationes non raro interseruerit. Ipsi autem carminibus interdum emendatis, raro per politis extrema manus accessit nimium propria; inde factum est ut saritione sit opus eis qui his nunc pascuntur, utque infelix lolium granatum extirpetur.

At habet hortus is immensus hic illic flores, habet, inquam, inopinatos eosque aspectu dignos. Inveniuntur enim illis in cornucopias praeter alia multa laudes urbium, quas Chalignius, indefessus

viator et pedes, obivit, invisit, poetice descriptsit, ut Bruxellas, Antverpiam, Namurcum, Lovanium, Leodium, Brugas, et omnes fere urbes Gallicas; reperitur et carmen de litterarum Gallicarum ortu et progressu Latinum et heroicum; offenduntur poemata quasi extemporaliter lusa turbatis eis temporibus, cum Gallorum res publica funditus permoveretur; quibus versibus poeta scripturae horas diesque saepenumero appinxit.

Qui cum plurima scripsisset, paucissima in lucem publicam edidit; nam duos tantum novi libellos quos typis curavit excudendos, alterum Gallicum, c.t. *La religion*¹, Latinum alterum, qui inscribitur *Selecti Normanniae flores*².

Chalignius mense Iunio anno 1717 in agro Parisino natus theologiae studiis incubuit; cum esset inter eius disciplinae doctores relatus, anno 1747 canonicus est creatus; permulta fecit itinera architecturae causa; cui tantopere studuit, ut ecclesiam cathedralem Veredunensem anno 1755 flammis consumptam, delineata forma nova, reficiendam curaverit ipse. Obiit Virduni mense Septembri anno 1805³.

* * *

LOUVAIN (LOVANIUM)

Lovanii exornant caelestes moenia, multae
hic posuere deae maxima templa sibi.
Non iuvenum mentes Parnassi fabula nutrit,
sed verae castus religionis amor.
Quantus erat quondam gentis concursus ad aras,

aemula dum lauros turba petebat ovans!
Horrida tempestas urbis tot commoda nuper
perdidit: invasit bellicos ardor agros.
Et nisi Mercurii voveant se pectora curis,
impedient passim gramina spissa vias.

¹ *La religion, essai d'un poème épique* (Parisiis, 1784).

² *Selecti Normanniae flores* (s.l. (1789)); quod opus addita praefatione iterum edidit G. de Beaurepaire (Rotomagi, 1932).

³ Cf. M. Prevost, in *Dictionnaire de biographie française*, 8 (Parisiis, 1959), coll. 204-205; Chan. Marcel, «Un épisode de l'histoire de la Cathédrale de Langres à la veille de la Révolution. Le projet d'embellissement du chanoine de Chaligny de Plaine», *Mémoires de la Société historique et archéologique de Langres*, 4 (1912-1913), 267-294.

ORVAL ABBAJE DE BERNARDINS 3 JUIN 1783

Et domus atque patres spectacula maxima
praebent;
sublimi aspectu regia quanta domus!
At miranda magis sanctorum vita, per omnes
horas proficiens auspice vita Deo.
O utinam mundi pereant mihi vincula! Valle
non alia vellem vivere sive mori.

ANVERS ANVERSA ANTVERPIA

Percelebris Anversa sedens ad litora Scaldis,
Gallia restituat sceptrta priora tibi!
Divitias omnes Neptunus prodiget orbis,
et fies magna nobile laude forum.
Flumen arenarum purgatur molibus illis,
quas venti flantes accumulare solent.
Ergo rates portu pandentes vela subibunt
civis et ex tristi paupere dives erit.
Exornat muros ut morum magna corona,
condecorant largas atria magna vias.
Templa Dei summo surgunt quam splendida lux!
Magna Iacobus habet, maxima Virgo sacra.
Urbis amatores proceresque palatia digna
in commune bonum Palladis arva vocant.
Quid loquar artifices summos, quos aemula virtus
picturae celebres fecit inire vias?

ADNOTATIUNCULAE

LOUVAIN (LOVANIUM)

Fons: Lutetia Parisiorum, Bib. Nat., cod. m.s. Fr. 9366, col. 189.
Epigramma scriptum esse videtur anno 1801 aut 1800.
v. 2: deae: cfr. e.g. ecclesia S. Gertrudis.
v. 7: studiorum universitas Lovaniensis abolita est anno 1797.

ORVAL

Fons: Lutetia Parisiorum, Bib. Nat., cod. m.s. Fr. 9369, p. 121.
Scriptum 3 VI 1783.
Orval: i.e. Aurea vallis, quod celeberrimum est in provincia Luxemburgensi coenobium; id poeta vidit
ante annum 1793, quo anno saeviente exercitu Gallico dirutum est.

ANVERS

Fons: Lutetia Parisiorum, Bib. Nat., cod. m.s. Fr. 9366, coll. 184-185.
Scriptum anno 1801, ut videtur.

NAMUR

Fons: Lut. Paris., Bib. Nat., cod. m.s. Fr. 9366, col. 186.
Scriptum anno 1801, ut videtur.
v. 1: urbs pluriens est capta a Gallis (a. 1692, 1746, 1794).
v. 5: geminum: Mosa et Samber.
v. 9: Francisci pauperis aula: domus O.F.M. sive Franciscanorum. Lamberto Isebaert, collegae
Namurcensi et amico, gratias ago quod huiusce versus sensum mihi exposuit.
v. 13: Ignatius: ecclesia, domus, collegium S.I. Ecclesia S. Ignati nunc appellatur S. Lupi.
v. 16: scandidit = scandit (forma haec apud scriptores antiquos non offenditur). ♦

Ante alios omnes princeps Rubenius artem
perfecit, laurum qui Raphaëlis habet.
Palladiamne loquar minitantem moenibus arcem?
Immeritum imposuit barbara dextra iugum.
Nam tu fida novis dominis non bella movere,
sed sanctum aeternae pacis amabis opus.

NAMUR (NAMURCUM)

Ad Gallos rediit mansura sorte Namurcum;
virtutis nostrae quam bene praeda manet!
Urbs magnas inter fortesque tenere videtur
imperium: usque adeo est nobile Martis opus.
Flumen habet geminum vectandis mercibus aptum
quodque suis ripis tecta superba videt.
Ecce pii cives posuere immania templia,
fumat et aeternis ignibus ara Dei.
Quis non miretur Francisci pauperis aulam
ingentem atque domus ardua tecta sacrae?
Ponte sub excelsa cursum captiva retardat
miraturque domos quas aqua dives alit.
Augustas habitat fervens Ignatius aedes,
ex miro surgit marmore tota domus.
Quid loquar excelsum montem super ardua castra?
Scandidit haec alis Galla Minerva suis.
Urbs, tibi si rerum series nova, Gallica facta
(Martia quae fueras): otia pacis habe.


* * *

UT PICTURA POESIS (I)

SCRIPSIT ERICUS PALMÉN

Hanc acroasin Ericus Palmén fecit in Seminario Granivensi (Jyväskylä in Finnia) praeceptorum linguae Latinae 1.7.1992 ac Feriis Latinis Nicensibus 22.8.1992.

*
* *



In Epistulis Q. Horati Flacci, quarum longissima et notissima est Epistula ad Pisones sive Ars poetica, frequentes occurunt sententiae quae vocantur alatae - id est quae contextu solutae saeculis edacibus supervixerunt ac nostra quoque aetate, duobus fere milibus annorum post mortem Horati, passim commemorantur. Una ex iis est *Ut pictura poesis*, quem huic acroasi titulum dedi. Quae verba cum non eadem semper ratione intellecta sint, par est fusius investigare et, quidnam Horatius ipse iis dicere voluerit, et, nonne in iis, quod ad artem poeticam aestimandam attinet, quidquam vinculi inter antiquitatem Romanam nostramque aetatem reperiatur.

Primum quidem memoria repetamus quinque illos Artis poeticae versus, in quos hoc celebri dicto introducimur (AP 361-365):

*Ut pictura poesis: erit quae, si proprius stes,
te capiat magis, et quaedam, si longius abstes;
haec amat obscurum, volet haec sub luce videri,
iudicis argutum quae non formidat acumen;
haec placuit semel, haec deciens repetita placebit.*


Versus supra commemorati pro parva digressione funguntur in latiore contextu, ubi Horatius perscrutatur, utrum fas an nefas sit postulare, ut poeta aliquid in suo genere perfectum et absolutum componat. Monet poetam in opere suo perficiendo et caelando similibus curis obici ac pictorem: utrumque non modo, ut summa operis felix sit (cf. AP 34), curare debere, verum etiam, ut minutissimae quoque eius partes ad unam omnes satis diligenti litura coercentur (cf. AP 293).

Nonnullis quidem delictis iure ignosci posse (cf. AP 346); nihil enim humani perfectum esse. Ipsum Homerum quoque interdum dormitare, quia necesse sit operi longo somnus obrepatur (cf. AP 359-360). Sese neque in carmine neque in pictura, ubi plura niteant, paucis offendit maculis, quas aut incuria fuderit aut humana natura parum caverit (cf. AP 350-351). Non igitur protinus spernendam esse picturam, quae magis capiat spectatorem longius quam proprius stantem nec nisi sub obscura luce conspici velit. Semper tamen pictorem sibi tamquam «Citius, altius, fortius!» dicere debere, ut melius aliquid efficiat - ut tabula sua etiam proprius et sub clara luce se aspici patiatur neque iudicis argutum acumen formidet, immo ut non tantum semel, sed decies repetita placeat. Item poema quam minimum summo decidere oportere (cf. AP 378), poetaeque id imprimis cavendum, ne eundem nimis frequenter errorem admittat (cf. AP 354-358). «Certis medium et tolerabile rebus recte concedi» (AP 368-369); consultum iuris et actorem causarum, etiamsi mediocris sit, tamen in pretio esse. In poetis aliter rem se habere: «Mediocribus esse poetis non homines, non di, non concessere columnae» (AP 371-372). Poetae igitur mediocritatem non esse auream mediocritatem.

*
* *

His de rebus Horatius ipse multo elegantius sermocinatur quam ego, qui versus eius pedestri oratione obliqua explicare conor. Neque in iis, quae modo disserui, omnia sunt, quae Horatio vincula quaedam picturam et poesim coniungentia esse videantur. Quisquis Artem poeticam perlegerit, sine dubio animadvertis eum in hac epistula passim velut tabulas depingere, quo magis perspicuae res a se tractatae fiant. Iam in primis versibus occurrit eius generis tabula, qua Horatius clarissime ostendit, quid opus poeticum minime deceat (AP 1-9). Accedunt ad illam tabulam absurdam et monstruosam - ne dicam surrealisticam - alia exempla haud minus perversa, quibus demonstrare pergit, quidnam et pictores et poetas, quamvis aequam habeant potestatem quidlibet audendi (cf. AP 9-10), memoria tenere oporteat: «Denique sit quidvis, simplex dumtaxat et unum» (AP 23). Id non minus in poesi quam in pictura et sculptura

valere (cf. AP 24-37). Neque Horatius solus aut primus talia praecipit. Mentione digna hic sunt ea, quae Plato philosophus quodam loco Phaedri dialogi (264c) de arte oratoria dicit: unamquamque orationem componendam esse tamquam vivam figuram, quae neque capite nec pedibus careat nec statura nec reliquis membris, quae omnia et inter se et cum toto corpore congrua sint.



Quid opus poeticum non deceat

Humano capiti cervicem pictor equinam iungere si velit et varias inducere plumas, undique conlatis membris ut turpiter atrum desinat in piscem mulier formosa superne, spectatum admissi risum teneatis, amici? Credite, Pisones, isti tabulae fore librum persimilem, cuius, velut aegri somnia, vanae fingentur species, ut nec pes nec caput uni reddatur formae...

esse, non veram partem eius.

*
* *

In ultima parte Artis poeticae Horatius quasi aequilibrii causa etiam, quid auctorem operis poetici minime deceat, nobis depingit (AP 453-460). Haec imago vesani poetae ab eo redditam viva est, ut necessario in mentem revocet. quae Plutarchus (De Glor. Athen. p.346F) Simonidem olim dixisse narrat et quae postea auctor ignotus Rheticorum ad Herennium (IV 28,39) ita Latine expressit: «Poema loquens pictura, pictura tacitum poema debet esse».

Nec praetereunda hic sunt exempla, quibus Aristoteles, quid sit metaphora, ostendit. Ait metaphoram haud multum a comparatione differre: si quis dicat: «Achilles velut leo impetum fecit» (cf. Homer. Ilias XX 164), eum comparatione uti; sin dicat: «Leo impetum fecit» omissa particula comparationis et subauditio tantum Achille, de metaphora agi (Rhet. III 4). Itidem, quoniam vesper sit pars diei, sicut senectus pars vitae, licere nobis metaphorice et vesperum senectutem diei (*γηράς τήμερας*) et senectutem vesperum vitae (*έσπέραν βίου*) appellare (Poet. 21,4).

*
* *

Horatius eandem rem aliter attingit. Eius in versibus non philosophus Graecus, sed poeta Romanus loquitur (AP 45-48 et 240-243):

Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor in verbis etiam tenuis cautusque serendis. Dixeris egregie, notum si callida verbum reddiderit iunctura novum...

Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis speret idem, sudet multum frustraque labore ausus idem: tantum series iuncturaque pollet, tantum de medio sumptis accedit honoris.

Suadet igitur carmen scribentibus, ut verba nota et usitata in novi generis contextu adhibeant; ita vel «de medio sumptis» multum accedere «honoris», id est sermonem cotidianum vivum et elegantem fieri. In ipso Horatio haec «callida iunctura» non solun ad singula verba ordinemque eorum pertinet, sed etiam ad totos versus, quibus in novum contextum translati poeta velut novas tabulas depingit. Eius rei haud pauca exempla reperiuntur. Admodum viva est imago ab Horatio in quadam satira redditam puerorum Venusinorum, qui quondam cotidie in ludum Flavi ibant «laevo suspensi loculos tabulamque lacerto» (Sat. I 6,74); sed multo magis viva fit imago, cum idem versus

Similia fere suadet Aristoteles dicens (Poet. 8,3) fabulam μᾶς τε καὶ ταύτης ὅλης esse oportere, id est singulas partes eius uni formae reddendas; quidquid salva integritate fabulae sive in eam includi sive ex ea excludi possit, id supervacuum

Quid poetam non deceat

*Ut mala quem scabies aut morbus regius urget
aut fanaticus error et iracunda Diana,
vesanum tetigisse timent fugiuntque poetam
qui sapiunt; agitant pueri incautique sequuntur.
Hic, dum sublimis versus ructatur et errat,
si veluti merulis intentus decidit auceps
in puteum foveamve, licet "succurrite" longum
clamat "io cives", non sit qui tollere curet...*




postea in quadam epistula translatus est ad describendos adultoscives, qui ad forum Romanum concurrunt ibique velut pueri indocti dictata recinunt argentariorum ad medium Ianum sedentium et prodocentium virtutem nummis postponendam esse (Epist. I 1, 53-56):

*'O cives, cives, quaerenda pecunia primum est;
virtus post nummos! Haec Ianus summus ab imo*

*prodocet, haec recinunt iuvenes dictata senesque
laevo suspensi loculos tabulamque lacerto.*

Haec fere Horatius. In posteriore parte acroasis in aetatem renascentium studiorum humanitatis transibo et perscrutabor, qua ratione tum ac sequentibus saeculis viri docti et scriptores Horati de pictura et poesi versus interpretati sint. ♦

(sequetur)



DE NOVIS LIBRIS

T. PEKKANEN, R. PITKARANTA, *Nuntii Latini*, Helsinki, Suomalaisen Kirjallisuuden Seura, 1992, 275 pp. (Finnish Literature Society, Box 259, SF-00171 Helsinki; pretium: 45 \$)

1500 exemplaria intra unam septimanam vendita. Nolite tamen desperare vobis exemplar reservatum iri: secunda enim editio iam est facta.

Horarium radiophonicum usque ad diem 27/03/93:

	GMT	kHz
EUROPE		
Dom.	0550	15440, 11755, 6120, 963, 558, 252
Sat.	1950	11755, 9730, 6120, 963, 558, 252
Sat.	2240	11740, 9730, 963, 558, 254
AMERICA SEPTENTRIONALIS		
Dom.	1450	21550, 15400
Dom.	0305	11755, 9560
AUSTRALIA, ASIA		
Dom.	0920	21550, 17800
ASIA ORIENTALIS, AMERICA MERIDIONALIS		
Sat.	2240	11810, 11740
FINNIA		
Ven.	0955	YLE Radio 1
Dom.	1655	YLE Radio 1



G. ANGELINO, *Varia Latinitas*, Mediolani, Pergamena, 1992, 334 pp. (ed. Pergamena, Viale Ezio, 7, I-20149 Milano)

Vido Angelino in litterariis certaminibus - Vaticano, Capitolino, Cattuliano - praemissis saepissime est honoratus. Hoc libro continentur multi textus palmā ornati simul et variae commentationes. Scriptor rem Romanam colit: priore parte tractat de antiquitate. Est tamen nostri temporis: itaque altera pars spectat ad res hodiernas. Quae breves narrationes commentationesque, numero 29, sunt linguā vividā conscriptae. Quid aliquando dictum sit in Horatii triclinio, quomodo Vergilius mortem obierit, quid sit de neologismis cogitandum, et Lucky Lucianum, et Alexandrum Soljenitzin, et Latinistam coram tribunal, haec inter alia invenietis in hoc libro, cuius Latinitas et varietas sunt valde iucundae.

Francisca DERAEDT



C. EICHENSEER, *De itinere Palaestinensi sive Israheliano*, Francofurti Moenani, Domus Editoria Europaea, 1992, 253 pp. (Axel Schönberger Verlag, Mahräckerstrasse, 1 - D-6000 Frankfurt/Main, aut Societas Latina, Universität, FR 6.3 - D-6600 Saarbrücken 11)

Cum hunc librum accepissemus, multis de causis valde gavisi sumus. Imprimis quia haec attractiva itineris narratio nunc tandem collecta est in unum librum cuius aspectus non impar est argumento. Eadem occasione res prosperas exoptamus «Domui Editoriae Europaea», quam Axelius Schönberger modo condidit, atque Bibliothecae Latinae, cuius hic liber est tomus primus. Quo libro non solum tenemus pulchri itineris narrationem sed etiam fructum ingentis indagationis et historicae et lexicographicae. Hoc opus est mirabilis thesaurus vocabulorum quae spectant ad Palaestinae geographiam historiamque. Insuper si quis Terram Sanctam lustrabit, hunc librum secum perutiliter portabit; nam aliud hodoeporicum¹ vix inveniet tot accuratis informationibus de locis visu dignis praeditum.

Denique haec editio ab initialibus symbolis in Voce Latina divulgatis differt et materiarum dispositione et nonnullis vocabulis correctis secundum recentioribus lexicographicis notionibus; additamentis etiam est aucta.

Gaius LICOPPE

¹ hodoeporicum, -i = liber, quo regio quaedam ad usum viatorum describitur.

DE INSCRIPTIONIBUS LATINIS FORI MAXIMI BRUXELLENSIS

SCRIPSIT ALANUS VAN DIEVOET

Forum Maximum urbis Bruxellarum in toto orbe terrarum celebratur propter suam magnificentiam et splendorem. Iure meritoque Bruxellenses illo gloriantur quod consuescunt pulcherrimam magnam plateam mundi vocare.

De illo foro multi iam scripsere; si aliquid scire vultis de eius architectura et architectis, de eius sculpturis et sculptoribus, de eius historia et constructione vobis sunt in promptu multi libri multique commentarii.

Sed de inscriptionibus Latinis quibus multae domus ornantur nemo adhuc aliquid commentari aggressus est. Tamen hae inscriptiones non sunt indignae quippe quae sint haud indecora lingua etiam carminibus descriptae.

Incipiamus nostram ambulationem a prima domo quae vocatur «ad Regem Hispaniae» et quae olim erat domus Collegii Panificum. In parte superiore ianuae stat caput auratum Sancti Alberti, patroni pistorum, cum hac inscriptione chronica subscripta:

HIC qVanDo VIXit Mira In paVperes pletate eLVXIt.

Quo chronogrammate indicatur annus 1697 quo constructio est perfecta. Altius, in epistilio quod separat primum et secundum tabulatum, haec stropha elegaca legitur:

*haeC statult pistor VICtrICla sIgna trophael
qVo CaroLVs pLena LaVde seCVndVs oVat.*

Est etiam chronogramma dans annum quo domus construi incepit anno 1696.

Alia domus quae vocatur «ad Lupam» et quae elegantissime exornata est, nunc numero 5 signata, constructa est anno 1691 eiusque frontispicium non deletum est post destructionem crudelissimam paene totius urbis perpetratam anno 1695 a rege Francorum Ludovico XIV. Haec domus quae erat domus Sagittariorum ornatur statuis Veritatis, Falsitatis, Pacis atque Discordiae quae comitantur unaquaeque his verbis:

Hic verum. Firmamentum imperit

postea

Hinc falsum. Insidiae status

postea

Pax sit. Salus generis humani

postea

Discordia longe. Eversio Reipublicae.

Statua Veritatis tenet manibus librum in quo haec verba evangelica scribuntur:

EST EST, NON NON

quae excerpta sunt ex Evangelio Matthei, cap. 5,37, in quo legimus: «sit autem sermo vester, est, est; non, non: quod autem his abundantius est, a malo est».

In fastigio triangulari, sub imagine Phoenicis excineribus redivivi, legitur haec inscriptio chronica (1691):

CoMbVsta InslgnI orres VrreXI eXpensi sebastIanae gVLDAe. (Verbum gulda, ex lingua Bruxellensi sumptum, significat collegium vel sodalitatem.)

Post destructionem urbis a militibus Francogallis factam, alia inscriptio addita est, quae nunc deleta est. Dabat numerum anni 1696. Ecce illam:

stVpes qVod tertIo CInIs gLori osIor eXsurgo, phoenIX sVM.

In alia parte maximi fori est monumentum Everardi Tserclaes, qui anno 1396 liberavit urbem a ditione Flamingorum. In basi huius monumenti legi possunt haec verba Latina:

Eberhardo t'Serclaes liberatori patriae.

Altius haec:

Pro aris et focis.

Hoc monumentum sculptum est anno 1898, est igitur inscriptio recens.

Haud procul ab hoc monumento, domus est quae vocatur «ad Cynum», numero 9 indicata. Haec verba, etiam chronica, dantia annum 1720, quo domum in altius extulit dives quidam mercator lanarum, sunt ad legendum proposita:

haeC DoMVs Lanea exalLatVr.

In alia parte fori, domus est quae vocatur «ad Auream Scapham» et quae erat Collegii Sartorum. In eius cacumine magna statua Sancti Homoboni Cremonensis, patroni sartorum, bracchio extenso benedicit eos qui ambulant in magno foro. In fastigio huius domus constructae anno 1698, hi versus legi possunt:

*Quas furor hostilis subverterat ignibus aedes
Sartor restaurat praesidibusque dicat.*

Erant olim aliae inscriptiones Latinae quae nunc non iam sunt. Domus quae vocatur «ad Collem» illustrabatur hoc carmine:

*Collis ut in cineres nuper fuit igne redactus
Altior e busto denuo crescit apex.*

In ea quae vocatur «ad Bursam» erant haec:

*Ah! velox furibunda exhausit Francia Bursam
Nunc ex exusta pax solidam tribuit.*

Hae ambae domus sunt anni 1698.

Anno 1617 statua Sancti Michaelis, quae stat in acumine turris curiae urbis, restaurata est et in eius scuto hoc inscriptum est:

*Statuam D. Michaelis patroni vetustate
corruptam S.P.Q. Brux. restauratam et
inauratam reposuit Petro Schotte
Engelberto Taye D. de Wemmele eq. aurato
aerarii praef. IIII Augusti A. MDCXVII.*

Anno 1841 in basi Sancti Michaelis moneta veterima cum his verbis inventa est:

Martinus PPV+Agnus Del, miserere nobis.

Huic monetae substitutum est eodem anno nomisma argenteum cum his verbis:

*Leopoldo Primo Belgarum Rege, equite Wyns urbis
Bruxellensis consule, turris Divi Michaelis
restauratur.*

Olim super domum fori quae nunc semper



Georgii Braun et Francisci Hogenberg
Civitates orbis terrarum 1572-1618
(ed. R.A. Skelton, The World Publishing Company Cleveland and New York, 1966).

domus cervisiarorum sive «ad Auream Arborem» vocatur, constructa anno 1698, erat statua Maximiliani Emmanuelis, Electoris Bavariae, cuius in acropodio inscribebantur haec:

Dux Bavariae Bruxellensium salus.

Sequebanturque hi versus:

*Dum premeret radiis nostram sol Gallicus urbem,
Te solum in maestos vidimus tre rogos,
Quid mirum Geticae qui fregit cornua luna,
Gallica si solis lumina non metuat?*

Haec statua deleta est anno 1752 et nova statua Caroli Lotharingiae, gubernatoris Belgicae Austriacae, erector est cuius in basi haec litteris

auratis inscribantur:

*Carolo Alexandro
Loth. et Baar Duci, Belgarum Gubernatori, etc., etc.
Aedibus effigies tua quantum ad sidera tendit,
Carole, tantum irmis cordibus urit amor,
Ut quem nulla dies memori post extimat aevo.
Haec posuit fidei pignora cara suae.
Corpus Braxat(orum) Bruxell(ensium).*

Sunt in magno foro magnae aedes quae vocantur •Domus Regis• sive olim •Domus Panaria•.
Anno 1625 hic erant haec verba:

hIC VotVM paCIs pVbLICae eLisabeth ConseCraVIt.

Infra haec:

A peste, fame et bello libera nos, Maria pacis.

Anno 1767, hoc palatum instructum est horologio cum hac inscriptione:

Sit patriae aurea quaevis.

Anno 1811, alia inscriptione, etiam nunc deleta, ornata est:

Paulus Arconati Visconti, Bruxellensium votis prospiciens, aedificium hoc, ab Isabella Clara Eugenia Belgicam feliciter moderante, anno Domini 1625, instauratum Deique matri consecratum, aere proprio comparatum servavit, utilitatique publicae dicavit anno 1811.

Ut videtis, post destructionem suam anni 1695 perpetratam, non solum pulchrius, verum etiam Latinus, forum nostrum est factum. Sed restat magna interrogatio. Mihi multum placeret scire nomen optimi poetae qui tot carmina elegancia composuit, et qui Bruxellis florebat anno 1695. Fortasse aliquis lector eruditus de illo scit aliquid vel suspicatur aliquid scire. Nam auctor tot pulchrorum carminum, quae nos delectant usque, est perpetua gloria dignus. ♦

LATINE LOQUI...



UBI CONDISCATUR

SEMINARIA LATINA

Societas Latina (Universität des Saarlandes, FR. 6.3, D-6600 Saarbrücken 11) hoc anno duo seminaria instituet, quae Dr P.C. Eichenseer suo iucundo more moderabitur. Invitantur et tirones, qui linguae Latinae vivum usum discere cupiunt, et peritiores qui eum exerceant:

25-31 mensis Iulii a. 1993 Morsaci (Morschach) in Helvetia

Interroganda est: Erica ROTH

Aeschistrasse, 6
CH-3110 MUNSINGEN

6-13 mensis Augusti a. 1993 Vavriae (Wavre) in Belgica

Interrogandus est: Gaius LICOPPE

Avenue de Tervueren, 76
B-1040 BRUXELLES

FERIAE LATINAE

Inter Ferias Latinas, a Dre P.S. Siedel institutas, proponuntur colloquia, acroases, liturgiae Latinae. Hoc anno fient:

13-20 mensis Februaril in Carinthia

Interrogandus est: Felix W. KUCHER

Bildungshaus St. Georgen
A-9313 ST GEORGEN/LANGSEE

22-29 mensis Augusti Nicaeae in Francogallia

Interrogandus est: Clemens DESESSARD

Résidence des Collines, C.9
500 rue Léo Brun
F-06210 MANDELIEU